

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Disputatio De Restituendis Duobus Versibus Jos. XXI. In  
Quibusdam Codicibus Hebraeis Omissis**

**Abicht, Johann Georg  
Flachs, Sigismund Andreas**

**Lipsiae, 1714**

**VD18 11446064**

§. XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130552](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130552)

## §. XII.

Non vero Gallia solum, sed etiam nostra Germania ejusmodi possidet Codices MSScos, qui versus nostros exhibent. Asservat nostra Saxonia in Bibliotheca Dresdensi codicem MSSc. & antiquissimum & elegantissimum, quem W. E. Tenzelius Bibl. Curios. Repof. I. p. 430. descripsit, in quo nostri versus tam Chaldaice, quam Hebraice leguntur, quos amica Cl. Seebischii Bibliothecarii Regii manu descriptos communicamus.

וּמִמֶּנּוּ רֵאֵיבֵן אֶרֶז בְּצֵר וְאֶרֶז מְגֻרְשֵׁיהָ וְאֶת־יְרֻחָהּ  
וְאֶת־מְגֻרְשֵׁיהָ:

וּמִשְׁכַּמָּה וְרֵאֵיבֵן יַת־בְּצֵר וְיַת־רוּחָהּ וְיַחֲצֵה  
וְיַת־רוּחָהּ:

אֶת־קְרֵמוֹת וְאֶת־מְגֻרְשֵׁיהָ וְאֶת־מִיפְעֵת וְאֶת־מְגֻרְשֵׁיהָ  
עָרִים אַרְבַּע:

יַת־קְרֵמוֹת וְיַת־רוּחָהּ וְיַת־מִיפְעֵת וְיַת־רוּחָהּ  
קָרוֹן אַרְבַּע:

*Et ex tribu Ruben, Bezer & suburbia ejus, & Jabza & suburbia ejus. Cedemoth & suburbia ejus, & Mephaath & suburbia ejus, urbes quatuor.*

Clarissimus Jablonski in præfat. Biblii Berolins. in 8va forma præmissa §. 27. testatur: Nostros versus comparere in tribus MSS. in I. & II. quos Bibliotheca Regia custodit, & in Desslaviensi, quem Bibliotheca Serenissimi Principis Anhaltino-Desslaviensis complectitur. Præterea nostri versus in Codicibus Erfurtensibus sunt superstites, & quidem in eo, quem Clariss. Michaëlis primum appellat, quemque Anno CIII. h. e. Christi 1343. vocalibus a Simone Hannickdan

*Pun-*

*Punctator* exornatum scimus, cuius vero textus vocalibus longe est vetustior, quod docet laudatus Michaelis in Dissert. de Codicibus MSS. Halæ Anno 1706. habita. Ostendit enim ibi veræ vetustatis criteria a Clar. Jablonski in præfat. Biblior. Berolinens. §. 37. data in hoc Codice apparere. 1] Scripturam esse elegantem sine artificio, & prisca simplicitate venerabilem. 2] parciolem usum esse literarum majuscularum, & minuscularum, inverfarum &c. 3] rarius esse Keri & Cethib, quam in Vulgatis nostris Codicibus. Eisdem versus, iisdemque verbis scriptos affert porro MSS. Codex, quem Cl. Michaelis secundum nominat. Licet quidem de ejus antiquitate in ipso Codice hæctenus nihil sit observatum, fata tamen docent, quod ad minimum ante Annum 1346. punctis fuerit instructus; Quot vero annos scriptura punctuationem superet, certo definire non licet. Hæc doctiss. Michaël. in allegata Disp. §. IX. In annotatione ad Biblia Hebraica, quæ adhuc sub prelo sudant. Observat idem Clariss. Vir, punctatorem Codicis hujus nostris duobus versibus nulla puncta subjecisse, sed in margine indicasse, illos ad Paralipomena pertinere. Ex qua observatione colligimus, scribam literarum hos versus ex Codice non punctato descripsisse, sed punctatorem aliud quid ex Kimchio edoctum, eosdem prætermisisse.

## §. XIII.

Missis Codicibus MSS. ad impressos progredimur, & primo loco producimus Biblia Complutensia, quæ Card. Ximenii cura & sumptibus, Anno 1517. prodierunt. In his, uti & in illis, quæ in officina Commeliniana Anno 1616. vel potius 1586, cum Annotationibus Vatabli, vel rectius Roberti Stephani, ut plurimi censent, ad Editionem Complutensem sunt excusa, nostri versus, quoad verba cum iisdem concordant Codicibus, quos hæctenus vidimus. Et quoniam, tradente Gomesio in vita Ximenii, pro VII. hebræis exemplaribus MSS. ex diversis regionibus conquestis quatuor millia aureorum erogata sunt, nemo dubitat, illa Biblia

D

ad